

Vol. 2.

D. D.  
DISSESSAT<sup>T</sup>O<sup>R</sup> GRADUALIS,  
DE  
**RESOLUTIONE**  
**MONTIUM**  
**IN**  
**DILUVIO UNI-**  
**VERSALI,**

CUJUS PARTEM POSTERIOR<sup>E</sup>M,

*Approbante Inclito Philosophorum ordine Regiae ad  
Auram Academie,*

SUB MODERAMINE  
VIRI MAXIME REVERENDI atque AMPLISSIMI

**D<sup>:NI</sup> J A C O B I  
G A D O L I N,**

S. S. Theol. DOCT. Scient. Nat. PROFESS. Reg. &  
Ord. PAST. Eccles. Aboëns. Fenn. nec non Reg.  
Acad. Scient. Svec. MEMBRI,

*Publicæ Bonorum censuræ modeste submittit,*  
**ERICUS BORGSTRÖM**, And. Fil.

*V. D. M.*

AUSTRO-FINLANDUS,  
In Audit. Majori die XX. Maji, Anni MDCCCLX.  
H. A. M. C.

---

ABOÆ, Impresit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.


Kongl. Majts  
TRO - TJENARE och ASSESSOR  
Uti Defs och Rikfens Högloft. Hof-Rätt  
i Stor-Furstendömet Finland,  
*Den Wälborne HERREN,*  
**HERR PETTER  
JUSLEEN,**  
Hög-Gunstige HERRE.

**M**Ed Wälborne HERR ASSESSORENS lysande och  
widfrägdade Namn, hade jag wäl icke wågat pry-  
da detta ringa Academiska Snille-foster, så framt jag  
ej funnit mig dertil förbunden igenom flera wedermälen af  
Gunst, hwarmed HERR ASSESSOREN mig, tid efter an-  
nan har täckts bewärdiga; och hwilka altså fordra en of-  
fentelig tackfäijelse. Himmelens görde HERR ASSESSO-  
RENS dagar många och fälla, och med allfköns Wälsig-  
nelse bekröne Defs Förnäma Hus! Rättwisan behälle i  
HERR ASSESSOREN länge sin fasta Pelare, Det Allmänna  
en omistelig och gagnande Ledamot, samt den et säkert be-  
skydd, hwilken under brinnande förbörner, med all wörd-  
nad framhärdar

Wälborne HERR ASSESSORENS

ödmjukaste tjenare

ERIC BORGSTRÖM.



I. N. S. S. T. P. F. S. S.

§. VII.



Elineavimus in *parte* Dissertationis *priori* Cosmogoniam Cl. Woodwardi, resolutione montium in diluvio universali factam, allatis in compendio argumentis, quibus hypothesis suam superstruit; restat igitur, ut placita Cl. Auctoris penitus examinemus, nostramque sententiam qualemcunque de materia hacce ardua breviter & modeste explicemus. Quod itaque attinet ad Maledictionem terræ, post lapsum Adamiticum promulgatam, quam in minuenda fertilitate terræ primævæ, facta in diluvio mineralium commixtione, ponit Auctor, prouti §. VI. dictum est; constat Eruditos, recentiori impri- mis ævo, in diversas de hac re abiisse sententias. Alii nimirum, uti & Auctor noster, dicunt effe-ctum maledictionis ad diluvium usque dilatum fuisse, scilicet nulla facta rerum phylicarum altera-tione

A

tione

tione terram primis istis seculis integrum mansisse, qualis ex manu S. Creatoris prodiit; postea vero accessisse maledictionem, hoc est, non solum aërem immani copia cadaverum, diluvio suffocatorum, inquinatum venenatumve, sed & ipsam superficiem telluris, alluvione aquæ dulcis ac salinæ perlutam, devastatam profundeque deterioratam fuisse. Alii contra existimant maledictionem mox post lapsum executioni mandatam atque in diluvio terminatam esse, adeo ut terra post diluvium sit a maledictione liberata, succedente in locum maledictionis benedictione primæva renovata. Gen. V: 29. VIII: 21. IX: 1, 2, 3. Quo autem judicium hac de re rite ferri queat, notandum, maledictionem DEI importare læsionem realem, seu immisionem pœnarum; quare cum terra ute pote res mortua & sensus expers proprie loquendo puniri nequeat, necesse est ut hæc maledictio involvat relationem ad hominem qui ex proventibus terræ vitam sustinebit, atque adeo inferat tallem inter hominem & terram mutuum respectum, ut hæc non nisi multo labore subiecta fruges proferat, easque ne sic quidem semper puras, ille autem ægerrime tantos labores ferre valeat. Hinc vero patet triplici ratione maledictionem terræ seu deteriorem inter homines terramque relationem concipi posse, scilicet ponendam hanc esse aut in vitio ipsi terræ illato & quidem sic ut natura soli sive virtute divina miraculosa mox post lapsum sive mediantibus causis secundis in diluvio tandem deprava-

depravata sit, ita ut homo etiamsi eadem qua ante gauderet scientia agros colendi, eandemque industriam adhibeat, longe tamen minorem ubertatem deprehendat; aut hominum culpa tellurem, quæ non mutata sit, incommodam sentiri cœpisse, dum nimirum in locum scientiæ & sedulitatis succederet ignorantia ignaviaque, unde fieret, ut regnum quidem naturæ juxta leges motus ab initio stabilitas administraretur, attamen cultores terræ, cursum naturæ ignorantes negligentesque, & sudando & algendo ærumnosam vitam viverent; aut denique utraque hac ratione conjuncta. Hinc prono, ut ajunt, alveo fluit, mox omnino post lapsum istam reapse valuisse maledictionem, quæ hominum vitio terræ culturam molestam efficit, immo manere quoque hunc statum maledictionis, donec peccatores in hac miseriarum valle anhelabunt; sive enim species defectum intellectus, sive pravitatem voluntatis, sive alias quascunque infirmitates peccato contractas, ex experientia quotidiana facile percipies, miseram utique esse terricolarum conditionem. Utrum vero altera quoque maledictionis species, qua terræ conditio primæva vitiata ponitur, vel olim obtinuerit, vel etiamnum persistat, difficilius definitu videtur (a). Sufficiat vero nobis, intra sphærā substratæ materiæ manentibus, meras conjecturas esse, quidquid de mutata per diluvium fertilitate terræ asseritur. Nobis namque videre atque, si vis, metiri etiam licet, quam ferax terra jam sit hoc nostro ævo, verum

quæ sit proportio præsentis fœcunditatis atque illius, quæ ante diluvium, nec non ejus, quæ ante lapsum obtinuit, unde quæso cognosci potest? Si enim alluvione terram sterilescere dicis, Nilus repugnat, teste Seneca: *Quantum crescit Nilus, tantum ſpei eſt in annum: nec computatio fallit agricolam, adeo ad mensuram fluminis respondet, quam fertilitatem facit Nilus.* Immo si in diluvio universalis terra fuit hic abluta & eviscerata, quid impedit quominus illic reliquerit aqua, quicquid pingue fecum tulit, adeo ut incertum plane maneat, utrum fœcunditas totius auctior an minutior evaserit. Si in salinam vel quamcunque mineraliē materiam culpam sterilitatis tranfers, cave dupliciter pecces, primo fallacia non cauſſæ ut cauſſæ, deinde petitione principii. Quædam enim mineralium accessio fertilitatem potius quam sterilitatem cauſſatur; specifica vero, qualem ſupponis, commixtio æque incerta eſt atque ipsa terræ corruptio. Sin porro longævitatem ante diluviorum (b), eſſe effectum mitioris temperiei Cœli terræque urgeas, adeoque & indicem deficientis maledictionis; ex tuo ſolum ingenio ſapientiſſimam providentiam ſatis audacter æstimare atque limitibus, qui forte nusquam exſtiterunt, circumſcribere videris.

(a) Qui maledictionem terræ ante diluvium non fuiffe effectui datam putant, aut detruncatâ notione ſolam conſiderant alterationem terræ physicam, aut non videntur atten- diſſe ad vim verborum Gen. III: 17. *Maledicta terra propter*  
16.

te. In labore comedes ex ea omnibus diebus vita tua. Spinam & tribulum germinabit &c. Adamum enim ante diluvium diem suum obiisse in vulgus notum est. Quin etiam maledictionem terræ gravem omnino fuisse patribus ante diluvias luculenter patet ex querelâ Lamechi Gen. V: 29.

(b) Nonnulli putant ante diluvianos non butyro, non lacte, non ovis, non caseo, nec carnibus usos, sed oleribus & feminibus; & hanc frugalitatem ciborumque simplicitatem reddidisse corpora salubria, non abnoxia illis morbis, quos hodie crapula conciliat. Alii contra in implissimo nullisque non vitiis conspureatissimo hoc avo carnis esum & permixtum & frequentem fuisse; Immo Medicorum recentiorum quidam asseruere, carnis crudæ devorationem ad salubrem longamque vitam quam maximum momentum addidisse. Hem! in quibus labyrinthis antris errant, qui extra sphæram expatriari student.

### §. VIII.

**M**ajorem e contra applausum merentur, quæ de fossilibus per universum orbem obviis, diluvii universalis testibus pulcre differit Cl. Aucto<sup>r</sup> (c). Etenim qui summos quoscunque montium apices perlustrarunt, eosdem sere omnes amplis vasti maris spolis, utpote testaceis, dentibus, ossibus & nescio quibus non monstrorum marinorum partibus abundantos deprehenderunt. Sic Alpes, Pyrenæi, Atlas, Ararat, immo quicunque inde a Japonia ad Mexici usque partes extremas toti Cœlo subjacent Montes, unanimiter quasi loquuntur, aquarum diluvia totam Terram alte aliquando condidisse. Hisce consentiunt varia peregrina,

grina, quæ in regionibus depresso profunde sepulta ostentantur, ex. g. Ebora, quæ Asiam vel Africam pro Patria habent, in Anglia, crocodilorum ex Nilo ossa in Germania atque sic porro. Hinc itaque conficitur, haud lenem & remissum fuisse aquarum diluvialium fluxum, sed vehementem omnino atque profunda rerum variarum confusione saltim in locis perplurimis horrendum. Maxima hæc perturbatio ut generi humano misere percuti erat tristissimus effectus vindictæ Divinæ nefandis facinoribus provocatae, ita ejusdem signa ubique Terrarum etiamnum residua subsecutis nobis mortalibus non solum totidem ad virtutem incitamenta præbent, verum etiam fidem Historiæ Mosaicæ ad oculum demonstrant, clementissimæque providentiæ Divinæ indicia repræsentant. Quod vero tempore vernali diluvium ceperit initium, uti judicat Auctor, ex variis plantis aliquisque rebus petrificatis, quæ non nisi hoc anni tempore tali forma gaudeant, minus probabile censendum est; huic namque Hypothesi in dubium revocandæ, etiam si nulla præterea adessent argumenta contraria, vel id sufficit, quod meridionalibus orbis partibus sit ver, quod Septentrionalibus est autumnus, & vice versa; adeo ut ex conditione plantarum, quæ vernali tempori congruentem formam præ se ferunt, concludi haud possit, utrum circa Signum Arietis, an Libræ in Ecliptica hæserit Sol, quo tempore orbem aquæ innundare cœperunt (d).

(c) Veritas hujus diluvii præterea comprobatur ex relationibus fabulosis in nulla non orbis parte frequentibus, quæ vel continua majorum traditionibus, vel famæ oraculorum divinorum originem debent, quarum illustre exemplum ex Ovidio apponere lubet. Metamorph. Lib. I. Primo commemorat homines antediluvianos fuisse admodum flagitosos, ideoque supplicium in ipsis constitutum.

“Sed non domus una perire  
“Digna fuit. Qua terra patet, fera regnat Erinnys:  
“In facinus jurasse putes. Dent ocius omnes,  
“Quas meruere pati, sic stat sententia, poenas.

Deinde modum poenæ describit;  
“Genus mortale sub undis  
“Perdere, & ex omni nimbus dimittere cœlo.  
“Nec cœlo contenta suo Jovis ira: Sed illum  
“Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.  
“Convocat hic amnes, qui postquam tecta tyranni  
“Intravere sui, non est hortamine longo  
“Nunc, ait, utendum: Vires effundite vestras.

Tum vero quam vehemens aquarum vis fuerit docet:  
“Comque satis, arbusta simul, pecudesque, virosque,  
“Tectaque, cum suis rapiunt penetralia sacris.

Postea universalitatem diluvii sic describit:  
“Jamque mare & tellus nullum discriminem habebant.  
“Omnia pontus erant. Deerant quoque littora ponto.

Ad hæc quemadmodum animalia fluctibus perierint, ad  
oculum quasi demonstrat:  
“Nat lupus inter oves: Fulvos vehit unda leones:  
“Unda vehit tigres, nec vires fulminis apro,  
“Crura nec ablato profunt velocia cervo.  
“Quæstisque diu terris, ubi fidere detur,  
“In mare lassatis, volucris vaga decidit alis.

Tandem

Tandem vero finem diluvii, conservato Deucalione,  
qui cum consorte tori Pyrrha parva rate vectus vertici  
Parnassi adhaeserat, canit:

“Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem;  
“Et superesse videt, de tot modo millibus unum,  
“Et superesse videt de tot modo millibus unam;  
“Innocuos ambos, cultores Numinis ambos;  
“Nubila disjecit; nimbisque aquilone remotis,  
“Et cœlo terras ostendit, & æthera terris.

(d) Lubet heic apponere Calendarium anni diluviani,  
ex sententia D:ni Bassnage in Antiquit. Judaic. Tom. II.  
quod in Germanica versione Defensæ Historiæ Biblicæ Tho-  
mæ Stackhouse Tom. I. p. 529. sic describitur:

- Im 1656:sten Jahr zeit der Erschaffung der Welt.
1. Im September starb Methusalem, im 969:sten Jahr seines Alters.
  2. Im October gieng Noah samt seiner Familie in die Arche.
  3. Im November, und zwar am 17:ten Tage desselben, würden die Brunnen des Abgrundes geöffnet.
  4. Im December, ohngefähr den 26:sten fieng es an zu regnen, und zwar 40. Tage und 40. Nächte, unablässig nach einander.
  5. Im Januario, wurden alle Menschen und alles Vieh unter dem Wasser versencket und begraben.
  6. Im Februario regnete es noch immerfort.
  7. Im Maris stand das Wasser am allerhöchsten, bis zum 27:sten dieses Monaths, da es anfieng zu fallen.
  8. Im April, ohngefähr am 17:ten Tage, blieb der Kasten auf dem Gebirge Ararat stehen.
  9. Im Monath Maii fiel weiter nichts vor, als daß Wasser zu verlaassen fortfuhr.
  10. Mit

10. Mit dem anfang des Junius rageten die Berge wieder aus dem Wasser hervor.
11. Im Julius lies Noah am 11:ten Tage einen Raben aussfliegen, der, wie Basnage meinet, nicht wieder gekommen; am 18:ten Tage lies er eine Taube aus, die bald wieder kam; und am 25:sten Tage abermals eine Taube, die ein Oehlblatt mit sich brachte.
12. Im August, den 26:sten flog die Taube zum dritten mal aus, und kam nicht wieder.
13. Im September war wieder trocken Land zu sehen.
14. Und im October, am 27:sten Tage, gieng Noah samt seiner Familie aus dem Kasten.

## §. IX.

**D**evolvimur sic ad quæstionem quæ imprimis consideranda est, utrum videlicet ipsi montes totumque regnum minerale in diluvio resolutum sit. Quod si vero jam a caussis finalibus argumenta petere nobis liceat, finis diluvii habebitur suffocatio Mundi vitiis deperditi, ejusdem caussa instrumentalis aqua superne & inferne ad inundandam superficiem orbis congregata; de hoc enim contra fidem Mosis dubitare nefas est. Verum enim vero ad hunc finem obtinendum non videtur resolutio mineralium necessaria, siquidem sola aquarum congregatio eidem sufficere potuit. Præterea si totum regnum minerale ponatur resolutum, adeo ut quemadmodum Woodvardo placet, omnis vis cohaerentiaz particularum esset sublata; sequitur id totum fuisse fluidum, illud namque corpus fluidum est, cujus particulae minime aut plane non

cohærent. Si igitur tota massa terræ firmæ fluida  
 erat facta; non videtur fuisse e re ut aquæ præ-  
 terea ex abyssō adscenderent, quandoquidem solus  
 iste fluor, nusquam repertā Terrā firma, ubi pe-  
 dem figere potuissent animalia, itidem fini dicto  
 suffecisset. Suspecta itaque mox videtur Cl. Aucto-  
 ris positio, causas præter necessitatem multipli-  
 cans, contra quam procedere solet providentia,  
 viâ brevissima ad fines suos tendens. Accedit &  
 hoc, quod silentium Mosis de cosmogonia Aucto-  
 ris prolixa neque minus improbabilem eandem  
 reddat. Dum enim Auctor Sacer commemorat  
 pluvias imbruesque nec non fontes abyssi prosiliens  
 ceu caussas efficienes, itemque ventos siccificos,  
 Scatebras obturatas & aquarum defluxum ceu  
 caussas diluvii removentes; quænam quæso affin-  
 genda erit ratio, cur primariam cosmogoniæ cauf-  
 sam Cl. auctoris silentio transierit, hæc namque &  
 miraculi magnitudine & rei novitate reliquas lon-  
 ge superans in primis commemoratione digna fuis-  
 set. Quin imo Arca Noæ, dum solidus orbis Cl.  
 Auctoris confringeretur ejusque partes aliæ pro-  
 fundum peterent, aliis ad summorum montium  
 altitudinem sursum projectis, haud absque specia-  
 lissima providentia Divina in hac catastrophe po-  
 tuisset manere integra; ac proinde conservatio e-  
 jusdem miraculosa præcipuum mentionem meruis-  
 set. Denique & id omnem fere fidem Cl. Aucto-  
 ris placitis derogat, quod multoties repetitas a-  
 ctiones miraculofas diversas supponat. Sic enim,  
 præter

præter elevationem aquarum ex abyssō absque mediis naturalibus factam, miraculum est, regnum minerale fuisse aquis resolutum; deinde materiam resolutam confusamque subsidisse usque ad superficiem Sphæricam abyssi vacuæ, adeoque materiam gravem super re inani tamquam firma basi confidisse; postea mineralia, quæ subsederunt, subito duritiem contraxisse; tandem crustam induratam absque vi externa fuisse disruptam atque sic porro. Tot certe concumulata miracula somnium, non Philosophiam, confidere nulli non videbuntur.

## §. X.

**P**Aradoxam §. præc. probavimus esse sententiam, cuius veritatem tamen Cl. Auctor eviderter demonstrari putat plantis animalibusque petrefactis, quæ montibus nusquam nisi, ut putat, in diluvio liquefactis, inclusa reperiuntur. Quam vero hæc quoque argumentatio vacillet, paucis ostendi potest. Constat enim ex relationibus indubiosis, in lapicidinis marmoreis, quæ per intervallum temporis magnum deserta jaceret, quandoque intra sinum montis marmorei reperiri secures, malleos aliaque instrumenta, quorum in cædendo lapide usus est; quis autem, absque omnium risu, dixerit hæc utensilia tempore diluvii ibidem fuisse sepulta; immo si vel maxime hoc dicatur, quomodo tamen fieri poterit per hypothesin Cl. Auctoris, ut dum omnia in universum mineralia resoluerentur, hæc

tamen instrumenta Metallica non fuissent resoluta? Igitur vel ex hoc exemplo patet, a materia peregrina intra montes lapidesve inventa non posse concludi ad resolutionen totius regni mineralis.

## §. XI.

**Q**uinimo & experimentum Noachi Gen. VIII: 10, 11. hypothesi Cl. Auctoris contradicit. Rediens etenim ad arcam columba, raptum folium olivæ in ore gestans, indicio erat Noacho, aquas diluviales imminutas fuisse. Scilicet non rudis erat hic Patriarcha, sed variarum rerum scientia potius inclytus, prout vel ex constructa ab ipso arca, quæ certe insignem arguit Architecturæ peritiam, nec non ex vinea, quam postmodum plantavit, itemque ex ætate proiecta eximiisque, quæ eidem laudi ducuntur, virtutibus tuto colligi potest. Incongruentem itaque plane judicamus sententiam, qua quis diceret pueriliter quasi hallucinatum fuisse Noachum, dum hæc ageret, eundemque Arcæ, ceu carceri, inclusum nil fere novisse eorum, quæ foris gererentur. Qui sic sentiunt, vix saniores videntur Hebræorum Magistris, qui hic nugantur, columbæ apertas fuisse portas Paradisi, unde ramum olivæ attulerit, quia arbores in terra omnes fuerint eradicatae; itemque columbam surculum virentem a monte olivarum attulisse, & diluvii aquas terram Israël non alluisse. Missis autem hujusmodi figmentis, dignitati Patriarchali multo convenientius statuitur, Noachum ex

ex allato experimento de præsenti cataclysmi statu rite judicasse. Dum itaque ex apportato folio cognovit aquas fuisse diminutas, quid quæso aliud cogitavit, quam altitudinem aquarum super terra minorem factam esse altitudine olivarum, adeoque olivas etiamnum alicubi humo insistere, atque per consequens non omnem terram eversam fuisse, ne dum resolutione Woodvardiana pessumdatam.

## §. XII.

**T**andem de locis S. Scripturæ, §. VI. citatis, quæ ad Hypothesin suam confirmandam adducit Cl. Auctor, paucis dicendum restat. Quod itaque attinet ad corruptionem vel perditionem terræ in diluvio factam, Gen. VI: 13. IX: 11. eo evidentius patet totalem resolutionem heic præter necessitatem fingi, quo certius constat, eadem phrasí dici terram perdi, dum bello vastatur, uti Jerem. XXXVI: 29. Sufficit namque indigitari in istis locis, terram diluvio sic devastari, ne vel homines vel animalia restent, imo possessiones quascunque urbes, agrosve & quæcunque præterea sint terræ ornamenta sive omnia sive qua plurimam partem destrui aut ex pristino statu in pejorem transferri. Præterea *Montes perpetuitatis contriti*, Habac. III: 6. non quidem, uti vult Cl. Auctor, significant proprie sic dictos montes, ne dum illos antediluvianos in pulverem redactos, sed oratione figurata denotant imperia Cananæorum, quæ ob potentiam eximiam firmis montibus assimilantur, dispersa at-

que virtute Divina a Populo Israëlitico excisa, prouti ex contextu orationis luculenter & facile intelligi id potest. Postquam enim commate priori Auctor Sacer plagas Ægyptiacas, quæ egressum Israëlitarum ex Ægypto præcesserunt, indigitasset, in versu citato a dimensione terræ, seu terræ Canaan juxta mensuras facta distributione, continuo orationis filo, ad imperiorum destructionem, progradientur, atque repetita a contritis montibus similitudine, fortitudinem brachii Divini ob oculos ponit; adeo ut facilius sit durissimos montes frangere, quam ex hoc quidem loco indolem cataclysmi demonstrare. Denique dum Amos IX: 5, 6. dicitur terra liquefcere & aquis submergi, non indicat resolutionem totius regni mineralis in diluvio factam, sed potius & quidem gravi oratione confirmat S. Scriptor, tantam esse Domini exercituum potentiam, qua peccatores puniendi sunt, quanta ad totum globum terræ submerendum sufficeret, adeo ut vindictam Divinam neutiquam effugere queant vitiosi; talemque præcise liquefactionem terræ heic innuit, qualis in Ægypto, inundante Nilo, contingere solet; ex qua liquefactione nullum omnino robur hypothesi Cl. Auctoris accedit.

SOLI DEO GLORIA.

